

Illustrissimo ac reverendissimo Domino D. Roberto Bellarmino
S.R.E. Cardinali etc. Domino suo observandissimo

Institutionum istarum editionem, Ill/me ac R/me Domine, nemini
potius, quam Ill/mae D/ni V/ae adscribendam, adeoque inscribendam
5 esse, cum aliae me rationes hortantur, tum ipse imprimis sapien-
1.4 tissimus Ecclesiastes, dum ait:
quibus verbis ut vetustissim^{us} ita fidissimus interpres noster ani-
mi sensa prorsus expressisse videtur: „Ad locum, unde exeunt, flu-
mina revertuntur, ut iterum fluant. Triginta abhinc annis et amplius
10 Ill/mae D/nis V/ae Institutiones linguae hebraicae lucem aspexerunt,
quae ob perspicuam methodum, novum eundemque permirum discendi ardo-
rem in quamplurimorum animis excitarunt, e quorum numero me quoque
fuisse perlibenter fateor. Quod quidem meum desiderium vehementer
auctum sensi, cum aliquot post annis, Ill/ma D.V/a eo tempore, quo Ro-
15 mano Collegio praeerat, per literas ad hujus linguae studium prose-
quendum, et apud alios excitandum me cohortata esset. Atque utinam
ex eodem quasi fonte Hebraicae doctrinae nobis quoque caetera hauri-
re licuisset, quae ad pleniorum Grammatices cognitionem assequendam
ipsa Ill/ma D.V/a data opportunitate, tradere statuerat (id enim ini-
20 titio methodi tum institutae ratio non admittebat) praesertim cum
non ignoraret, in tanta bonorum librorum hebraicorum inopia, illa ab
omnibus hujus linguae studiosis, maxime vero a nostris, vehementer
desiderari. Quoniam autem, temporibus progressu, nemini non consta-
bat, Ill/mam D.V/am tam in ipsa Societate, quam in hac postmodum im-
25 perata sibi facta purpuratorum Patrum dignitate longe gravioribus
curis in dies impediri, quam ut ad hanc operam praestandam redire
posset, non defuerunt ex nostris, etiam Superiores, qui, ut hunc la-
borem susciperem, mihi nunc Ingolstadii linguam sanctam profitenti,
autores extitere. Quare ex eis, quae partim ipse in scriptoribus
30 sacris ac Sancte Pagnino observavi, partim docendi experientia, Pa-
trumque nostratum hebraice doctorum consilio ad hoc propositum ne-

cessaria vel utilia fore didici, Institutiones illas in nostrorum
potissimum usum coepi conscribere. Quam opellam meam Ill/mae D.V/ae
non ingratam fuisse R.P. Hieronymus Bruenellus p.m. in collegio Romano
ejusdem sanctae linguae tunc professorem agens, pluribus abhinc an-
5 nis ad me ex Urbe scripsit: post vero, pro singulari suo in hoc stu-
diorum genus amore, ipse quoque R/dus admodum P. Claudius Aquaviva
Societatis nostrae Praepositus Generalis (cujus memoriam nulla aetas
oblitterabit) idem mihi significavit, facultate praeterea hujus li-
belli mei excudendi impertita. Quominus vero haec prodierit editio,
10 typorum hebraicorum inopia hactenus impedivit; qua nunc, piorum beni-
gnitate, sublata, Ad locum, hoc est, ad mare magnae variaeque eruditio-
nis Ill/mae D.V/ae hujus qualisqualis laboris mei non flumina, sed
modesti duntaxat rivuli, unde exeunt (ut enim primum desiderium me-
um, ita quicquid inde profectum est, Ill/ma D.V/a in acceptis refe-
15 rendum existimo) submissae observantiae ac gratitudinis ergo, rever-
tuntur, ut inde, sacrae benedictionis incremento percepto, ad alios,
potissimum vero ad domesticos nostros, uberius iterum
fluant. Deus Opt. Max. Ill/mam D.V/am pro totius Ecclesiae catholicae
commodo, cui tot jam annis variarum scriptionum monumentis, et, quod
20 caput est, laudatissimae vitae exemplis, magnopere profuit, quam
diutissime conservet incolumem. Augustae Vindel. 19 Septemb. Anno
MDCXXII (sic!)

Ill/mae D.V/ae

humillimus in Christo servus

Georgius Mayr

25

Institutiones linguae hebraicae Georgii Mayr S.J. Lugduni 1622. Ded.